


EPISTOLA - HULDERICHI







EPISTOLA

DIVI HVLDERICHI AVGVSTENSIS EPISCOPI, ADVERSVS CON STITVTIONEM DE CLERI COELIBATV, PLANE REFERENS APOS TOLICVM SPI RITVM.

(Ulric)

VVITTEMBERGAE.

PIIS LECTORIBVS S.

EGREGIA res cælibatus est, sed non perinde in cuiusuis manu posita. Quo minus uulgari debuit constitutio de cæli batu ab impiis pontificibus, in uniuersum genus sacerdotū Qua in re laudanda est græcæ ecclesiæ prudentia, quæ hac parte Romani pertinaciter refragata est. Laudanda est & Constantiensis Ecclesia in Sueuis, quæ longo tēpore eam pontificū legem detrectauit. Quanto satius enim fuerat cuiusq; spiritui, rem tantam permittere? Neq; enim eadem sunt, ut ait Apostolus, omniū dona. In quā sententiam multa diuus Huldericus Augustensis Episcopus ad pontificem Nicolaum Christiano plane spiritu scripsit. Eius Epistolam nuper ex antiquo codice excerpta uisum est, piis lectoribus exhibere.

VALETE.

HAEC est rescriptio sancti Hulderici Episcopi, in qua Nicolao Papæ de cōtinentia clericorū non iuste sed impie, non Canonice, sed indiscrete tractanti ita respondit. Nicolao domino & patri peruigili sanctæ Romanæ Ecclesiæ prouisori Huldericus solo nomine Episcopus, amorem ut filius, timoré ut seruus. Cum tua o pater & domine decreta super clericorū continentiā nuper mihi transmissa a discretione inuenirem aliena, Timor quidam turbauit me cum tristitia, timor quidem propter hoc quod dicitur pastoris sententia, siue iusta, siue iniusta timenda esse. Timebā enim infirmis scripturæ auditoribus, qui uel iustæ uix obediūt sententiæ, ut iniustā conculcātes libere onerosa immo importabili pastoris p̄uaricatione præcepti se obligarent, Tristicia uero uel cōpassio dum dubitabam, qua ratiōe membra cauere possent capite suo tam graui morbo laboráte. Quid enim grauius, quid totius Ecclesiæ cōpassione dignius, quā te summæ sedis pontificé, ad quem totius Ecclesiæ spectat examen a sancta discretione uel nimiū exorbitare? Nō parū quippe ab hac deuiasti, cū clericos quos ad continentiam coniugii monere debebas, ad hanc imperiosa quadā uiolentia cogi uolebas. Nūquid eni merito cōmuni omniū sapientū iuditio hæc est uiolentia, cū contra Euangelicā institutioné ac sancti spiritus dictationem ad priuata aliquis decreta cogitur exequenda? Cū ergo plurima ueteris ac noui testamenti suppetāt exempla sanctā, ut nosti, discretionem docētia, tuæ rogo ne graue sit paternitati uel pauca ex pluribꝰ huic paginæ interseri. Dominus quidé in ueteri lege sacerdoti cōiugium constituit, quod illi postmodum interdixisse non legitur. Sed in Euangelio loquitur, Sunt Eunuchi qui se castrauerūt propter regnū cœlorū, sed nō om̄es hoc uerbū capiūt, qui potest capere capiat. Quapropter Apostolus ait, De uirginibus præceptū domini nō habeo, consiliū auté do, quod etiā iuxta prædictū domini nō omnes hoc consiliū capere posse consideras, sed multos eiusdé cōsilii assentatores hominibus nō deo pro falsa specie cōtinentiæ placere uolentes, grauiora uides cōmittere, patrū scilicet uxores subagitare, masculorū ac pecudū amplexus nō abhorrere, ne morbi huius aspersione adusq; pestilentiā cōualescéte ni mirū status labefactetur Ecclesiæ totius propter fornicationé dixit, Vnusquisq; suā uxoré habeat, qđ specialiter ad laicos pertinere idé mentiuntur hypocritæ, qui licet in

Arguit violentiæ Nicolaum Hulderi cus.

in quouis sanctissimo ordine constituti, alienis reuera uxoribus nõ dubitant abuti. Et quod flendo cernimus omnes in supradictis seuiunt sceleribus. Hi nimirum non recte scripturam intellexerũt, cuius mamillam quia durius pressere sanguinem pro lacte biberũt. Nam illud Apostolicum, Vnusquisq; suam habeat uxorem, nullum excipit uere nisi professorem continentiæ, uel eum qui de continuanda uirginitate in domino præfixit. Quod nihilominus tuã, pater uenerande condecet strenuitatem, ut omnẽ qui tibi manu uel ore uotum faciens continentiæ, postea uoluerit apostatare, aut ad uotum exequendũ ex debito constringas, aut ab omni ordine Canonica auctoritate deponas, & hoc ut uiriliter implere sufficias, me omnesq; mei ordinis uiros adiutores habebis non pigros. Verũ, ut huius uoti nescios omnino scias non esse cogendos, audi Apostolũ dicentẽ ad Timotheũ. Oportet, inquã, Episcopum irreprehensibilẽ esse unius uxoris uirũ, quam ne quis sententiam ad solam uerteret Ecclesiã, subiunxit. Qui autẽ domui suæ præesse nescit, quomodo dei Ecclesiæ diligentiam adhibebit? Similiter, inquit, diaconi sint unius uxoris uiri, qui filiis suis bene præsint, & suis domibus. Hanc autẽ uxorem a sacerdote bene dicendã esse sancti Syluestri Papæ decretis scio te sufficienter docuisse. His & huiuscemodi sanctis scripturæ sentenciis regulæ clericorũ scriptor, non immerito concordans ait, Clericus sit pudicus, aut certe unius matrimonii uinculo federatus. Ex quibus oĩbus ueraciter colligit, quod Episcopus & dyaconus reprehensibiles notantur, si in mulieribus multis diuiduntur, Si uero unam sub obtentu religionis abiiciunt, utrunq; scilicet Episcopũ & dyaconũ sine graduũ differentia hic Canonica damnat sententia. Episcopus aut presbyter uxorem propriam nequaquã sub obtentu religionis abiiciat, si uero reiecerit excõmunicetur, & si perseuerauerit deiiciatur. Sanctus quoq; Augustinus sanctæ discretionis nõ inscius, nullum, inquit, tam graue facinus est, quin admittendum sit, ut deuitetur peius. Legimus præterea in secundo tripartitæ Ecclesiasticæ libro historiæ, Quod cum synodus Nicena hæc eadem uellet sancire decreta, ut uidelicet Episcopi, presbyteri, dyaconi post cõsecrationem a propriis uxoribus uel omnino abstinerent, uel gradũ deponerent. Surgens in medio Paphnutius unus ex illis martyribus, quos

bus, quos maximus imperator oculis eorum dextris euulsis & sinistris suris inscisis damnauit. Contradixit, honorabiles confessus nuptias ac castitatem esse dicens concubitum cum propria uxore, persuasitq; consilio ne talem ponerent legem, grauem asserens esse caussam, quá aut ipsis aut eorum coniugibus occasio fornicationis existeret. Et hæc quidē Paphnutius, licet nuptiarū expers, exposuit, synodusq; eius sententiam laudauit, & nihil ex hac parte sanciuit, sed hoc in uniuscuiusq; uoluntate non in necessitate dimisit. Sunt uero aliqui, qui sanctum Gregorium suæ sectæ sumunt adiutoriū, quorum quidem temeritatem rideo, ignorantiam doleo. Ignorant enim, quod periculosum huius hæresis decretum a sancto Gregorio factum, condigno pœnitentiæ fructu. Postmodum ab eodē sit purgatum. Quippe, cum die quadam in uiuarium suū propter pisces misisset, & allata inde plusquā sex milia infantū capita uideret, intima mox ductus pœnitentia ingemuit, & factum a se de abstinentia decretū, tantæ cedis caussam confessus, condigno illud, ut dixi pœnitentiæ fructu purgauit, suoq; decreto prorsus damnato, Apostolicum illud laudauit consilium, Melius est nubere quá uri, addens ex sui parte, Melius est nubere quá mortis occasionem prebere. Hunc forsitan rei euentum, si illi mecum legissent, non tam temere credo iudicarent, dominicū saltem timentes præceptum. Nolite iudicare ut nō iudicemini. Inde Paulus dicit, Tu quis es qui iudicas alienum seruum? suo domino stat aut cadit, stabit autem, potens est dominus statuere illum. Cesset ergo sanctitas tua cogere, quos tantum deberet ammonere, ne priuato, quod absit, præcepto tam ueteri quam nouo contrarius inueniaris testamento. Nam, ut ait sanctus Augustinus ad Donatum, Solum est quod in tua iustitia pertimescimus, ne non pro lenitatis Christianæ consideratione sed pro immanitate facinorum censeas coercendum, quod te per ipsum Christum ne facias obsecramus. sic enim peccata compescenda sunt, ut supersint quos peccasse pœniteat. Illud & Augustini uolumus te recordari, quod ait, Nihil nocendi fiat cupiditate omnia cōsulēdi charitate, & nihil fiat immaniter, nihil inhumaniter. Itē de eodē in timore Christi, in nomine Christi exhortor, quicūq; nō habetis tēporalia habere nō cupiatis, qcūq; habetis in eis nō psumatis.

Dico autē non si ista habetis damnamini, sed si in eis presumatis dānamini, si propter talia magni uobis uideamini, si generis humani conditionē cōmunē propter excellentē unitatē obliuiscamini. Qđ nimirū poculū discretiōis ex illo fonte apostolicæ hauseritis predicatiōis. Solutus es ab uxore noli querere uxorē, adligatus es uxori, noli querere solutionē. ubi & subditur, Qui habent uxores tanq̄ nō habentes, & qui utuntur mundo tanq̄ non utātur. Item dicit de uidua cui uult nubat tantū in dño. Nubere autē in domino est nihil in cōtrahendo cōnubio qđ dñs prohibeat attentare. Hieremias quoq; ait Nolite confidere in uerbis mendacii dicētes, Templū domini templū domini templū domini est, quod Hieronymus exponens, potest, inquit, & hoc illis uirginibus cōuenire quæ iactant pudicitiā suā impudenti uultu, præferunt castitatē, cū aliud habeat cōscientia, & nesciunt illā Apostoli definitionē, de uirgine ut sit sancta corpore & spiritu. Quid ꝓdest corporis pudicitia animo cōstuprata, si cæteras uirtutes, quas propheticus sermo describit, nō habuerit? Quas quidem, quia te aliquatenus habere uidemus, & quia discretionē licet in hac re neglectam, in aliis tamē uitæ tuæ institutionibus eam honeste conseruatā non ignoramus. Huius intentionis prauitatem cito correcturū nō desperamus, & ideo nō quanta possumus grauitate, istam licet grauissimā negligentiā corripimus & iudicamus, quanq̄ enim secūdū uocabula, quæ usus obtinuit sit Episcopatus presbyterio maior, tñ Augustinus Hieronymo minor est, & a minori quolibet non est refugiēda uel dedignāda correptio, præsertim cū is qui corripit & cōtra ueritatē & pro hominibus niti inuenitur. Neq; eni, ut ait sanctus Augustinus ad Bonifaciū, quorūlibēt disputationes quāuis catholicorū & laudatorū uirorū uelut scripturas Canonicas habere debemus, ut nō liceat salua honorificentia, quæ illis debetur aliquid in eorū scriptis improbare atq; respuere, si forte inuenerimus q̄ aliter senserint, quā ueritas habeat diuino adiutorio uel ab aliis intellecta uel a nobis. Quid autē ueritati magis contrariū potest inueniri, quā hoc cū ipsa ueritas de cōtinentia loquens, nō unius hominis, sed omniū plane, excepto numero, professorū cōtinentiæ dicat, Qui potest capere capiat, q̄ isti unde nescitur instigati dicāt, qui non potest capere feriatur anathemate. Quid uero per homines fieri potest stolidius, quid diuinæ maledictioni obligatius, quam cum aliqui

aliqui uel Episcopi uidelicet uel Archidiaconi ita precipites sint in libidinem, ut neq; adulteria, neq; incestus, neq; masculorũ proh pudor turpissimos amplexus sciant abhorrere, q casta clericorũ cõiugia sibi dicant fetere, & ab eis nõ ueræ iusticiæ cõpassione clericos ut conseruos cogant uel moneant cõtinere, sed ut seruos iubeant ac cogant abstinere. Ad cuius imperii ne dicam consilii tam fatuã, tamq; turpem addunt suggestionẽ, ut dicant honestius est, pluribus occulte implicari, quam aperte in hominũ uultu & conscientia cum una ligari. Quid profecto non dicerent, si ex illo, & in illo essent, qui dicit, Ve uobis phariseis qui oĩa facitis propter homines. Et per Psalmistã, Quia hominibus placẽt cõfusi sunt, quoniã dominus spreuit eos. Hi sunt homines qui prius deberent nobis persuadere, ut in cõspectu eius, cui oĩa nuda & aperta sunt, erubescamus peccatores esse, quã in conspectu hominũ mundi esse. Licet ergo merito suæ prauitatis nullius consiliũ mereãtur pietatis, nos tamẽ memores humanitatis, diuinæ eis consiliũ auctoritatis nunquã a pietate uacãtis, per uiscera ministramus charitatis. Dicimus nempe, eiice primũ hypocrita trabem de oculo tuo, & tũc perspicies ut eiicias festucã de oculo fratris tui. Illud quoq; rogamus eos attendere, qđ dñs dicit de meretrice, Qui sine peccato est uestrũ primus in eã lapidẽ mittat, quasi diceret, Si lex iubet, si Moyses iubet, iubeo & ego, sed cõpetentes legis ministros exigo. Attẽditis quid additis, attendite quæso & qd estis, quia si teipsum, ut ait scriptura, perspexeris, nulli unquã detraxeris: Significatũ est nobis etiã de quibusdam eorũ, qui tanta apud se intumescant elatione, ut gregem dñi, pro quo boni pastores animas nõ dubitãt ministrare, isti uerberibus absq; ratiõe præsumãt laniare, quorũ sententiã sanctus Gregorius deplorãs ait, Quid fiet de ouibus quãdo pastores lupi fiunt? sed quis uincitur nisi qui seuit? quis uero persecutorẽ iudicabit, nisi qui dorsum suũ ad flagella pacienter ministrauit? Operepretiũ est autẽ ut audiat, quo fructu tantũ Ecclesia dei scandalũ, tantũ clerus despectũ, & ab ipsis Episcopis & ab eorũ infidelibus patiatur. Nec enĩ eos infideles dicere dubitauerim, de quibus Paulus Apostolus dicit ad Timotheũ, Quia in nouissimis temporibus discedent quidã a fide attendentes spiritibus erroris & doctrinis demoniorũ in hypocrisi loquentiũ mendaciũ & cauteriatã habentium conscientiam, prohibentiũ nubere. Hic est autẽ si diligẽter inspiciatur

inſpiciatur tocius eorũ manipulus zizaniæ, totius conuentus inſaniæ, ut dũ clerici licita unius mulieris conſortia phariſaico deuicti, quid abſit, furore relinquere cogũtur fornicatores & adulteri, & aliarum prauitatũ turpiſſimi miniſtri, cũ ipſis efficiantur. Qui hanc in Eccesia dei hæreſim ſicut cæci duces cæcorũ machinantur, ut uidelicet illud impleatur, quod pſalmiſta eis, ut pote eorũ præſcius, erroris taliter imprecatur. Obſcurentur oculi eorũ ne uideãt, & dorſum eorũ ſemper incurua. quia ergo, nemo q te, o Apoſtolice, nouit ignorat, quod ſi tu per tui decreti ſententiã, tantã futuram eſſe peſtilentiã ſolidæ diſcretionis claritate perſpexiſſes, nunquã quorunlibet tam prauis ſuggeſtionibus conſenſiſſes. Debitæ tibi ſubiectionis fidelitate conſulimus, ut uel nunc ad tanti ſcandali ab Eccleſia dei propulſionem euigiles, & qua noſti diſcretionis diſciplina, phariſaicã ab ouili dei extirpes doctrinam, ne ſcilicet unica domini ſunamitis adulterinis diutius uſa maritis, gentem ſanctam regale ſacerdotiũ per irrecuperabile a ſuo ſponſo Chriſto uidelicet auellat diuortium dum nemo ſine caſtimonia non tantũ in uirginali flore, ſed etiam in coniugali habita coniũctione, uiſurus ſit dominũ noſtrum, Qui cum deo patre & ſpiritu ſancto uiuit & regnat, Per omnia ſecula ſeculorum. AMEN.

Inuenta eſt hæc Epiſtola, in quadam Bibliotheca opidi ueteris aquæ Germanice Alduuater In Hollandia Inferioris Germaniæ prouincia.

Item, Obiit ſanctus Huldericus, Anno Nongenteſimo, ætatis ſuæ .lxxxiii.

Ruzicka #–.ld
6/28/12

